



Embrico ex illustri familia comitum de Linin gen natus est. Is cum felici ingenio eslet præditus in optimis literis educatus est. In ijs adeò p̄fecit, ut ob insignem eruditionem & pietatem ubique notus fuerit. Vnde cum sedes Vuirtzburgenlis uacaret, is omnium consensu eius ecclesie episcopus electus est, anno millesimo centesimo tricesimo primo. Eam functionem ipse magna diligentia suscepit & administrauit. Vnde Lothario Cæsari charissimus extitit, qui etiam eius consilio in rebus maximis usus est. Eo tempore inter Romanos magnum schisma ob duos pontifices ortum erat. Itaque Lotharius Vuirtzeburgi omnes

Germaniæ episcopos conuocat, atq; Anacletu deposito, Innocentium secundum pontificem ordinat, qui etiam postea per annos tredecim Papale sedem gubernauit. Huius etiam Embriconis prudentia & pietate Lotharius permotus, ei ducatum Franconiaæ restituit, quem prius Heinricus Cæsar, Conrado cognato suo tradiderat. additis insuper literis, ne quis postea eum ducatum ab ecclesia Herbipolensi auferret. Vnde Embrico multa monasteria ædificauit atq; ea iuuentutis scholas & uirtutis domicilia constituit, inter quæ etiam S. Iacobi in suburbio eius loci extitit ordinis Benedictinorū, cui Macharium virum doctissimum primum abbatem dedit. Hoc modo non tantum Lothario, sed quoque eius successori Conrado acceptissimus fuit. Cum autem ipse magna laude per annos sedecim suam ecclesiam administrasset Conradus 3 Cæsar eum ad Emanuelem Orientis Imperatorem legatum misit, ut per illum affinitas inter imperatores fieret, atque res alij imperij nomine expedirentur. Ea cum Embrico commode præstisset, in redditu Aquilegiæ moritur, atque honorificè sepelitur, anno 1147. Anon.